DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROPE ANASARCA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROPE ANASARCA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

LUCAS BURNE,

HIBERNUS,

CHIRURGUS,

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

"Crescit sibi indulgens Hydrops."——HOR.

EDINBURGI:

Cum Privilegio,

EXCUDEBANT D. SCHAW ET FILIUS.

1806.

VIRO

PRÆHONORABILI ET NOBILI,

ROBERTO,

BARONI ERRIS, DE ROCKINGHAM,

VICECOMITI LORTON

DE BOYLE,

IN

COMITATU ROSCOMMENSI,

PHALANGUM MAYENSIUM

DUCTORI BELLICOSO,

LEGIONIS ROSCOMMENSIS

PRÆFECTO MILITARI,

COMITATUS SUI GUBERNATORI,

DOMUS ANTIQUÆ,

ET AMPLISSIMIS HONORIBUS AUCTÆ,

STEMMATI PRÆCLARO,

SERMONIS COMITATE,

MORUM ELEGANTIA ET SUAVITATE,

NULLI SECUNDO,

HANC DISSERTATIONEM MEDICAM,

QUALEMCUNQUE,

ANIMI,

OB BENEFICIA EJUS PLURIMA,

EI DEVINCTISSIMI,

TESTIMONIUM PERTENUE

OFFERT

LUCAS BURNE.

Dr Austie with
Compts from the
Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROPE ANASARCA.

SERUM in quodvis corporis cavum effusum, Hydropis nomine insignitur. Hujus genera frequentissima sunt anasarca, quando in membranam cellularem reditur, ascites, quando in abdomen, et hydrothorax, quando in thoracem. In diversa genera optime dividuntur, quamvis haud raro, aliud in alterum, transeat: caeteris omissis, anasarcae soli dicata erit dissertatio subsequens; quae a CULLENO sic definita fuit. "Corpo-

" ris totius, vel partis ejus, intumescentia mollis,
" inelastica."

Quamvis in hoc morbo corpus universum plerumque afficitur, attamen in una speciali parte frequentius, primum sese ostendit, in talis praecipue, aliquando etiam in facie, lentis passibus nonnunquam accedit, et per multos annos antequam statum morbus attigerit, ad eum proclivitas plane percipiatur, sed quando solidorum laxitate summa debilitateque, hujus propensio adaugetur, causa excitante valida, vires suas simul exerente, subito profundus morbus adgreditur, cruribus affectis, tempore matutino, tumefactio pene evanescit; facie, vero, vespertino discedens, matutino aucta, mollis, coloris expers, et inelastica tumefactio est, et digiti impressionem pro tempore retinet, pallido subviridique colore suffunditur vultus, oculique olim splendentes, secundæ valetudinis præcones, jam nihil tale prae se ferunt, sed hebetes, calligantesque fiunt. Morbo invalescente, sensim augescit tumefactio; texturae laxae, partibus, veluti

veluti scroto, preputio, marium; labiisque pudendi foeminarum praecipue affectis: haud raro per cutem veram exudat liquor, subterque cuticulam in vesiculas abit, quibus disruptis, inflammatio primum, deinde gangrena, passibus non laxis subinde subsequuntur. Ab mali initio, urina parca et ruberrima est, sedimentum copiosum deponens, in quibusdam utcunque exemplis, pallidam et speciem serosam sese induit; sitis etiam, quae ab initio urguerat, tandem insatiabilis evadit, tussi dysponeaque praecipue decumbentem aegrum continuo vexantibus. Cibi appetentia parum aut nulla est; in casibus plurimis, pulsus frequens et cutis arida fiunt per totum morbum; alvus plerumque tarda manet; aliquando vero in diarrhoeam solvitur; omnibus his indiciis de die in diem indesinenter auctis, aegri vires tandem exhauriuntur; accedit coma, et saepe inter apoplexiae paroxysmum, undis obrutus suis, aerumnosus ad plures migrat.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

Anasarcæ, symptomatum ratione habita, ab omni alio morbo facillime distinguere poterimus; de morbis utcunque, qui anasarcam, plurimum mentiuntur, pauca subnectam. Polysarchia, quae ex dicta plena, plerumque oritur, tumoribus ex positura corporis nihil mutatis, digitique impressionem abnuentibus, ab ea dignoscitur. In anasarca, urinae copia minuitur, sitis augetur, cutisque vigetum suum colorem statim deponit. In polysarchia, cibi appetentia optime se habet, vultusque praeter solitum floridus et vigetus est.

Sub ingressu primo, emphysema anasarcam mentiri possit, utriusque vero morbi causis, sedulo perpensis, discrimen facile patebit. In anasarca extremitates inferiores maxime tument,

in

in emphysemate, superiores, quae, inter tangendum, sonum crepitantem edunt.



CAUSAE MORBI

PREDISPONENTES et excitantes usitatius nominantur. Quod ad predisponentes attinet, morbus in plurimis exemplis, causae excitantis applicatione immediata, induci possit, in multis proclivitas quaedam specialis inest, quae ex systematis statu quodam, diathesis hydropica dicto, constat; corporis scilicet debilitas, exhalantium laxitas, et in plurimis exemplis fluidorum solutio morbida.

I. Causae excitantes multae et variae sunt, quarum paucas tantum numerabo; interque eas, liquores meraciores, nimis frequenter deglutitos, qui,

qui, ut GREGORIUS noster apte notat, longe primum locum sibi vindicant.

" Spiritus distillati, nimis excitando, saepe no-
" cent, saepius adhuc et magis infirmando; ge-
" neri nervoso imprimis inimici sunt et ventri-
" culo et jecori, unde infirmitas generalis, et
" dirus et insanabilis hydrops, vel ab hac, vel
" ab obstructionibus vasorum quas liquores isti
" gignere solent *."

II. Vitam sedentariam et inertem, qua ad corpus debilitandum nihil magis conducit, utpote quae dyspepsiam progignit, circuitum sanguinis tardat, omnesque secretiones, pro rata parte, minuit: hinc inter artifices, vitamque sedentariam degentes, morbi frequentiae rationem reddere possumus; rem ita sese habere, hominum, exercitatione frequente et valida utentium, secundissima valetudo pro testimonio est.

III.

* Conspectus Med. vol. ii. p. 64.

III. Atmosphaeram frigidam et humidam. Etsi inter causas excitantes haec merito recenceatur, attamen, an vi debilitante ejus, per lymphatica superficialia, fluidorum circumambientium absorptioni auctae, vel transpirationi per cutem retropulsae, effectus talis tribuendus sit *, pro certo dijudicare non possumus: absorptionem jam dictam pro certo obtinere, testimonia valida satis, ut mihi videtur, comprobarunt †; praecipue notat Doctor D. MONROIUS, quod morbis hydropicis multo magis proclives sunt Batavi, quam qui aere puro et sicco utuntur.

IV. Potiones frigidas corpore calefacto deglutitas; hac, nisi exercitio valido et idoneo exceptae, pro causa excitante habendae sunt. Effectum suum, verisimile est, ut edant; transpirationem per cutem vel minuendo, vel in toto supprimendo.

Ab

---

* Bligh's Narrative.

† Essay on Dropsy.

Ab HOMIO nostro exampla duo, in ejus prelectionibus clinicis, memorantur, Annae Laurie, et militis, qui, calefacti, cerevisia frigida hausta, morbum contraxerunt. Militis abdomini, in globos contracto, applicabatur vesicatorium; quando in Nosocomium venit, dyspnœa laborabat, quae in horas ingravescebat, donec tertio die e vivis excessit. Inter cadaveris sectionem, in cavo thoracis, aqua inveniebatur, crustaque densa, pleurarum superficies investiebatur.

V. Sanguinis missiones longas et repetitas. Globorum rubrorum, sanguinis, jactura nimia, quae, propter evacuationes tales, necesse sit eveniat, morbum hunc ortum ducere nemini mirandum erit, qui vel semel reputaverit, quanto tardius, hi globuli, parte serosa renovabuntur, ideoque ab hoc praedominio occupatus vultus pollescit, corpus, praeter morem jam exinanitum, torpescit, languescitque; mali moris, indiciis aliis plurimis catervatim aegrum obsidentibus. Ad morbum hunc producendum, fonticuli et suppurationes

purationes amplae lataeque, simili modo, operari videntur.

VI. Morbos acutos aeque ac longos, inter causas excitantes recensere haud dubito, convalescentes ex his morbis, tumefactionibus hydropicis frequenter laborare videmus, cujus in causa sit, hepatis et splenis, status morbidus, qui his casibus plerumque obtinet, quique sanguinis venosi reditui, remoram injiciendo, hosce effectus edant. Non possum utcunque, quin moneam, morbum saepissime invadere, visceribus interim sanis, nullaque, quod audiverim, labe correptis.

Huic morbo ansam etiam praebuerunt, variola eruptionesque cutaneae, ex subito suppressae.

VII. Victum tenuem, parumque nutrientem, his adnectere libet. Ab Hewsonii experimentis, liquido apparet, diætam talem, in diversa exhalata, in corporis cavos, vim haud contemnendam exercere, eaque ad coagulationem minus proclivia reddere.

VIII. Hujusce mali causis, minimeque raris, cordis et magnorum vasorum sanguinem vehentium affectiones, animi pathemata deprimentia, et evacuationes suppressas, nobis postremo annumerare liceat.

PROGNOSIS.

Quoniam in anasarca eventus saepius incertus sit; medicus accersitus caute, et, si sapiat, nunquam, nisi invitus, prognosin suam proferre volet. Si urgeant propinqui, nullumque effugium restat, ab aegri aetate, et viribus, morbique duratione, et causis, judicium sumendum erit, quando natu grandiores debilesque afficiuntur, et quando jecinoris schirrum, vasorumque magnorum cordis obstructiones, signis haud dubitandis, adesse constat, eventus lethalis timendus est. Aegrorum, utcunque indiciis maxime infaustis non obstantibus, convalescentium exempla plurima extant; febre leni superveniente,

niente, et diaphoresin promovente, vel per dijectiones, vel quasvis alias vias, aqua emissa.

RATIO MEDENDI.

CONSILIA medendi tria sunt, quorum primum, causas remotas removendo obsolvetur. Secundum, fluidum effusum evacuando. Tertium, systematis tonum reficiendo.

Indicatio prima, summo jure, medicorum attentionem sibi vendicat, nam cuicunque, causis adhuc manentibus, morbo mederi in animo erit, ab eo, laterem lavatum fuisse, eventus haud dubius indicabit.

Quando ex obstructionibus pendet morbus, ad eas removendas parum proficere possumus, praecipueque si aeger jam senescit. In pluri-

 mis

mis exemplis, hydrargyro, tartaris crystallis, aliisque deobstruentibus, jecinoris obstructiones feliciter curatae fuerunt; sed cordis, vasorumque ejus, sanguinem vehentium ossificationes, et polypi, mederi pertinaciter recusant, et medicis, pariter ac medicamentis suis, sine fine irridebunt; plurimae aliae causae, quales sunt, vita ignava et sedentaria, liquorum spirituosorum ingurgitatio nimia, &c. &c. facile, et cum effectu, removeantur.

Ad indicationem secundam obsolvendam, multa medicamenta excogitata sunt, quorum, prima a me consideranda sunt, evacuantia, quae absorbentium, et exhalantium, actionem promovendo, saepius curam perfecerunt. Purgantia, jam in frequenti usu, in hujus morbi curatione sunt, neque immerito, quantum ego judicando valeo; nulla alia medicamentorum genera, ac jam dicta, effectus aeque bonos, tam saepe producunt, neque frequentius succedunt, in morbo radicitus foras eliminando. Hujus exempla innumera extant, quae, brevitatis causa, silentio transibo.

transibo. Multis etiam interfui, in quibus cura prorsus iis absoluta fuit.

Quod hoc morbo laborantes, catharticorum, quam emeticorum, usum, multo facilius tolerant, a Doctore CULLENO notatur *; ex quibus drastica, frequentius praelata fuerunt, saepe etiam eorum magnis dosibus uti, necessarium erit, propter torporem, qui aliquando urget, quique in exemplis plurimis, ad cerebrum aqua gravatum, optimo jure referri potest, purgantia drastica, quoties aegri vires permittent, repeti monet Sydenhamus †, si diuresin quod ad quantitatem aequalem, vel etiam naturali uberiorem moveant, sperandum, curam perfectam iri.

Medicamenta diuretica, cum fructu haud raro exhibita fuerunt, et in aegris debilibus plus quam cathartica prodesse videntur.

Digitalis purpurea, scilla maritima, hydrargyrus

* First Lines, vol. iv. p. 173.

† De Hydrope.

rus, &c. vulgo exhibentur, et cum diluentium copia uberiore conjuncta, optime saepissime cesserunt. Matutino tempore, potius ingerenda sunt, ita ut, antequam ad lectum, aeger sese contulerit, effectum suum edant. Aer enim frigidulus, urinae fluxui plurimum favet *; rebus maxime urgentibus, minime convenire videntur, haec medicamenta, quoniam per plurimos dies, in usu eorum, ut perstiterimus indesinenter, necessarium erit, antequam quivis inde effectus, percipi poterint. Scilla maritima, cum hydrargyro conjuncta, et tamdiu exhibita, donec os leviter affectum fuit, in plurimis exemplis, optimos effectus ediderint, morbo ex toto debellato.

Etiam laudata fuerunt, sportium scoporium, juniperi baccae, multaque alia diuretica, pro hujus morbi curatione, sed his parum confidendum est. Multa in scriptis extant exempla, ex quibus discimus, morbum hunc vomitionibus spontaneis curatum fuisse, quo felicissimo eventu

* Audi praelectiones Professoris Gregorii.

tu hortabantur medici ad vomitiones arte inductas experiundas. Sed neque his plurimum confido, neque in quo morbi stadio optime profecerint, satis scio, quando aeger profluvio sanguinis, aut apoplexia laborat, cum cautela summa exhiberentur. Emetica maxime in usu, sunt tartris antimonii, sulphas cupri, aut zinci.

Ad medicamenta diaphoretica nonnunquam recursum fuit, qualia sunt praeparata ex antimonio, ipecacuanhae pulvis compositus; sed, in morbi stadio provecto, nullum bonum fructum, ex eorum usu oriturum esse, suspicari pronus sum; quoniam diaphoresin in hoc morbo promovere plerumque difficillimum est, et in plerisque exemplis, in quibus experta fuerunt medicamenta diaphoretica, semper a CULLENO celiberrimo inutilia reperiebantur *. Si forte fortuna accideret, ut ad serum effusum evacuandum, operatio chirurgica necessaria sit, ad puncturas, quae tamen pauciores sint, recurrere possumus, longe

* Dr Cullen's First Lines, vol. iv. p. 170.

longe etiam a se invicem distent necesse est; ut liquor, ex hac puncturatione emissus, super illam non transeat, puncturarum series prima juxta inguinem fiat, secunda proxime ad genu, et tertia prope malleolum *. Ad aquam exprimendem frictio usurpetur, et, ad partes sustinendas, fascia lanea applicetur.

Ut proclivitati ad gangrenam occurratur, aliquot dies ante operationem, exhibeantur cinchona et vinum. Vesicatoria fonticuli setacea, &c. tentata fuerunt, sed nunquam expertus, de iis, quasi effectus bonos producentibus, nihil affirmare possum. Media, ad systematis tonum reficiendum, vulgo usurpata sunt, exercitatio modica sub aere puro et sicco, diaeta nutriens, et facilis concoctu, cum medicamentis tonicis.

Si aeger sub coelo humido versatur, quamprimum ad siccum, et salubre, transmigrare eum oportet, et exercitium lene, quatenus per situm ejus

---

* Audi praelectiones celeberrimas Monroi.

ejus liceat, nunquam praetermitti debet, ambulatio, equitatio, aut gestatio in curru, optime respondebunt, si non ad defatigationem continuantur, simili ratione frictiones cum pannis laneis calidis, ut et strigilem, praecipere vellem ; quae sanguinis circuitum, et absorbentium actionem, in plurimis exemplis promovere possunt.

Diaeta tenuis, sed nutriens foret, et ratione habita pristinae aegri consuetudinis, si necessarum videatur, nonnihil vini aut liquoris, *punch* dicti, habeat.

Ad corpus roborandum, plurima medicamenta tonica exhiberi solent, quorum praecipua sunt, chalybeata, cinchona, cum diversis amaris, quae saepe feliciter propinata sunt, utpote inservientia, ad organa concoctionis confirmanda, multum plerumque infirmata.

Quando aeger aliqua ex parte vires recupera-

verit, ad frigidarii usum frequentem confugeat; fructus haud parvos inde accipiet, curaque hoc modo confirmabitur.

FINIS.